
7 22

EPISTOLA PASTORALIS

AD UNIVERSUM CLERUM, ET POPULUM

S. SEVERINAE DIOECESIS.





ROMAE MDCCCXVIII.

APUD FRANCISCUM BOURLIÈ

Superiorum permissu.

FR. SALVATOR MARIA PIGNATARO

ORDINIS PRAEDICATORUM

SACRAE THEOLOGIAE MAGISTER

DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA

ARCHIEPISCOPUS S. SEVERINAE.

VENERABILI CANONICORUM ORDINI, UTRIQUE CLERO, UNIVERSOQUE POPULO

Salutem a Domino, et Paternam Benedictionem.

Quod verebar accidit mihi! Non una semel multis ab hinc annis, dum adhuc igniculus viveret, me Episcopum personabant amici. Verum enim vero nunquam ab instituto recessi, ut variis curis tum intra, tum extra Claustra fuerim distentus: nunc Apostolicas Missiones peragendo sub titulo et auspiciis S. Vincentii Ferrerii, nunc Cathedras moderando, praesertim illas, per varios annos, almi Collegii S. Thomae Aquinatis in Urbe Neapolis: modo Episcopos in animarum cura coadjuvando: modo tandem laboriosum munus exercendo daemones a corporibus obsessis exorcizandi; quod sane perarduum officium, per viginti et amplius annos, sub duobus Neapolitanis Archiepiscopis perfracte gessi. Tandem, post tot emensos male gestos labores, plenus annorum et laboribus attritus, dum in salicibus suspenderam organa mea, quum jam aetatis annum quartum supra septuagesimum attigissem, octavo idus Maji, hora prima noctis, Missum a FERDINANDO I., quem Deus semper sospitet, extemplo mihi se praesentavit; Regium Diploma porrigentem, ubi postquam promotionem meam acceptam

iri Summo Pontifici PIO VII. enunciabat, quem Deus-semper conservet, vivificet et salvum faciat, Me Archiepiscopum S. Severinae trans Calabriam inaugurabat . . . . . . Pro dolor! Quam magna tristitia cordi meo: quot variae cogitationes mentem meam obnubilarunt: Nunc aetas: nunc loci distantia: itineris arduitas: virium fractio: amicorum, parentum, et tandem eorum, quos in Christo genui, gemitus et suspiria, qui me quasi mortuum circum circiter plangebant. Steti, silui: et tandem recolens, quod si senex puerum portabat, puer autem senem regebat, investigabiles Dei vias cernuus adoravi.

S. Severina, vel melius Syberona, scio, Fratres et Filii carissimi, mediterraneam esse ulterioris Calabriae civitatem, locum natura sua munitum, annis plusquam MCCL. ante Christi Adventum fundatam, ut ex Stephano, optimo Scriptore, liquet.

Est autem sita in loco excelso, a mari Jonio distans milliaribus X. Hic fiunt vina praeclara, et haec sunt illa, quae Plinius appellat Severiniana vina. Quam pulcra aetas, quam celebrata vetustas! Secundo ab Urbe milliari sunt montes nativi salis candidissimi.

Illud vero quod vel maxime ejus vetustatem decorat, Christianam fidem in Urbe hac invectam fuisse a Divo Dionysio Areopagita, dum comes Apostoli Pauli per illas provincias aberrabant.

Sedes itaque S. Severinae antiquissima est, Graecanici quondam ritus, et Constantinopolitani Patriarchae suffraganea: at dum saeculo XI. a Gente Normanna fuerit subjugata, a jurisdictione Constantinopolitana jam libera fuit, et Sedi Apostolicae, tunc temporis Urbano II., solemniter addicta, a quo ad Metropoliticam Sedem evecta fuit.

Passim Summi Pontifices, atque Imperatores in praetio habuerunt, ut eam variis privilegiis locupletarent, praesertim Lucius III., et Aragonenses anno MCLXXXIII. Eamque S. Anastasiae Virginis et Martyris Romanae, Urbis Residentialis Patronae, patrocinio submiserunt, cujus sacrum brachium in theca argentea inclusum asservatur.

Ad rem nostram, Venerabiles Fratres ac Filii in Christo dilectissimi, gaudium meum et corona mea. De me certo esse debetis tantillum sentire, eo praesertim quod mihi obversari video e regione tot meos Praedecessores sapientia, moribus, ac prudentia praestantes, multosque sacra Purpura donatos. Adjuvate ergo senem. Ad vos sunt hi sermones, spectatissimi Cathedralis meae Canonici. Satagamus; ut per bona opera certam nostram vocationem faciamus. Habetis jam, quod diu exoptastis, habetis Pastorem et Patrem; in quo quidem plaue intelligo quam multa desiderentur, quae in Episcopo esse oportet; verumtamen cognoscetis, ut confido, quanta vos charitate complector: nec despero quin vos studia vestra omnia, laborem operamque conferatis ad difficillimum Pastoris onus mecum sustinendum, tanquam Consiliarii, atque Adjutores a Divina Providentia mihi associati, ut in omnibus simul glorificemus Deum per Jesum Christum. Stemus igitur arctissimo charitatis et sapientiae vinculo conjuncti, ut vel qui ex adverso sunt vereantur aliquid dicere de nobis: quum nos elegerit Deus, ut inquit Chrisostomus, tamquam luminaria, ceterorumque Magistros, ac veluti Angelos versantes in terris.

Dominus nobiscum est, nolite timere, ait Josues ad Populum; sic ad vos Ecclesiarum Pastores, Rectoresque praestantissimi, qui mecum Pastoralis officii onera in animarum salute estis perlaturi. Id potissimum nobis curae sit,

ut neque per nimium rigorem onera importabilia animabus nobis commissis imponamus, neque per nimiam indulgentiam peccantes in vitiorum coeno jacere, ac dormire patiamur: lupos ab ovili arceamus, socordes excitemus, et pascua saluberrima Gregi praebeamus. Neque ea dignoscere difficile nobis erit, si Summi nostri Pontificis Jesu Christi tesseram in Evangeliis examinemus, nec non si sedulo Conciliorum, Summorum Pontificum, Sanctorum Patrum, ac denique Ecclesiae Doctorum sanctiones et dicta sequemur.

Vos simul omnes affari non obliviscor quotquot Sacerdotio fungimini, vos Diaconi, vos Clerici, qui ad illum apicem contenditis, quid vestra interest. Duobus universa dicam: Sanctitas et doctrina. Mundi estote qui fertis ac tangitis vasa Domini. Templa ubi servitis decet sanctitudo. Jesus Christus de nobis ne quidem vulgari puritate contentus est: sed inclamat per Psalmistam, et per suum Evangelium: Ego dixi Dii estis et Filii excelsis omnes; et insimul estote perfecti sicut Pater vester perfectus est. Numquid de moribus vestris dubito dum ista moneo? Minime. Sed qui sanctus est sanctificetur adhuc; rogamusque ut abundetis magis, proficientes de virtute in virtutem, et pro saecularium oculis sitis israelitica columna per diem in columna nubis, et per noctem in columna ignis. Quantum vero splendoris huic luci accedit a scientia? Qua si carere semper culpati fuimus, quum Dominus dicat: Labia Sacerdotum custodiant scientiam, quid dicendum venit pro hoc insipiente et sceleroso saeculo? Cum non solum instituendi sint rudes, parvulique christianis elementis imbuendi et in fide confirmandi, sed colluctari vehementer oporteat adversus intestinos hostes, quorum ludus, veluti Antichristi praecursores, est adorabile catholicum Dogma. Vos ergo Fratres admodum mihi dilecti

studia vestra ad purissima fluenta convertite. In fonte Biblia legetis et Patres; Sancti vero Thomae Aquinatis aureos libros, tam Ecclesiae caros, filiisque suis commendatos manibus assiduis terite, ubi quae solide scienda veniunt, et profunde non minus invenietis, simulque haereses quot fuere, quot sunt, quot erunt incredibili vi confutantur.

Potissimum vobis dicta ista putate Adolescentes omnes, qui Clericali militiae adscripti vel adscribendi parati estis: spiritum saeculi penitus a vobis abjicite.

Praeclara Religiosorum soboles venite, venite et vos in vineam meam ut portetis pondus diei et aestus, et quod justum est dabitur vobis... At ubi sunt, Fratres mei carissimi et desideratissimi, mei Instituti assecles? lacrymae mihi hic pro atramento sunt... Ubi Sanctissimi Patriarchae Dominici plantae virentes? . . . Mitte Domine operarios in messem tuam.

Alma Sanctimonialium cohors, Virginum flos Caelesti Sponso dicatae parate lampades vestras ecce Sponsus venit: exite obviam ei, nova sint omnia, corda, voces et opera. Vineae florentes dabunt odorem suum.

Magistratus, Nobiles, Optimates omnes, quibus publica alus commendata est, quique me singulari prosequi charitate demonstratis, postquam cum gaudio electionis meae nuncium excepistis. Cupio quantocius venire ad vos, ut unum simus in Christo, et publico bono una simul laboremus.

Ascendant igitur ad te Domine vota nostra, et cordis suspiria per Virginem Matrem Mariam, cujus speciali patrocinio a juventute mea addictum censui, et nunc totam Dioecesim dicatam volo.

Deprecamini pro Sancta et Catholica Romana Ecclesia, ut immota semper maneat, et illabefactata. Oremus pro PIO VII. Pont. Max., qui Petri Naviculam tot inter procel-

las tempestatesque invictissime gubernavit, fortitudinis simul ac mansuetudinis exemplum incomparabile semper exhibuit. Huic igitur legitimo Petri Successori, Centro Unitatis, Magistro supremo semper adhaereamus, obsequiumque praestemus, ipsum ad longevam perducat aetatem.

Preces quoque fundere debemus pro augustissimo Rege nostro FERDINANDO I., qui sicut ambulavit in viis Domini, sedeat super solium suum usque in senectam et senium, videatque filios filiorum suorum.

Tandem pro me indigno orate.

Atque ut vota nostra efficaciora sint, et, ut fumus aromatum, ascendant in conspectu Domini, illam exhibeamus per manus Mariae Virginis Deiparae, Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, necnon per merita S. Anastasiae Virginis et Martyris Romanae Urbis Residentialis praecipuae Patronae, qui omnes tanti faciant ut Benedictio Dei Omnipotentis Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, sicut ros matutinus, super vos semper descendat. Amen.

Dabam Romae extra Portam Caelimontanam septimo Kalendas Junii meae Consecrationis die, Anno Reparatae Salutis MDCCCXVIII.

IMPRIMATVR

Si videbitur Revmo Patri Sac. Palatii Apostolici Magistro.

Candidus Maria Frattini Archiep. Philipp. Vicesg.

IMPRIMATVR

Fr. Thomas Dominicus Piazza Ord. Praed. Magister et Soc. Rmi P.M.S.P.A.